



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Secundus. Ad vitam Mysticam quinam aptiores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

[Non ergò decet *a* amantes mutua studia, mutuaque in alterutrum desideria nescire neque sufficit æstuantì animæ, ardentique desiderio semel audire dilectum. Obsecro ergò manda, remanda. Nuntius medius inter nos discurrat, qui me de singulis instruat. doceat me non solum super statum meum, sed & de statu tuo, doceatque, quomodo apud te sit, vel quid tibi de meo placuerit. [atque ita erit beatus, qui inuenit amicum *b* verum; & qui enarrat iustitiam auri audienti; non quidem indifferenter omnibus, sed à Deo vocatis, & ad vitam mysticam magis idoneis; vndè consequenter dicitur,

Ad vitam mysticam quinam aptiores.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Sicut in domo Patris cœlestis variæ sunt mansiones, & quisquis beatorum pro sua dignitate vicinior, remotiusque Dei essentiam intuetur; ita proxius, dum peregrinamur à Domino, vnus sic, alius autem sic, donum habet à Deo. cum autem [Deus cuncta moueat *c* secundum naturæ propriæ dispositionem,] & ipsimet [angeli sint consecuti *d* gratiam, & gloriam, secundum naturalium virium quantitatem, quod meliores, & excellentiores maiorem gratiam, & gloriam consequerentur.] hinc etiam apud mysticos v-

nus alio magis aptus est ad diuina contemplanda. & [communiore quidem mysticorum iudicio,] ad vitam contemplatiuam magis apti sunt, ætate iuniores, natura ingenui, flexibiles, dociles, hilares, mansueti, & maxime humilitate præstantes. Quia tamen frustra est potentia quæ non redigitur in actum, & non omnes qui apti sunt, ac secundum quod cognouerunt Deum, ita & glorificauerunt; idèò prudenter obseruatum est [nonnullos si in *f* teneriori ætate quando adhuc suauisibiles, dociles, habiles, feruidi, ac strenui sunt, probè imbuantur, fieri posse, vt quidam ex ijs suum maturent profectum, & in ætate adhuc tenera, ad altiora contendant.] quamuis [postea horum aliqui *g* deficient; ita vt qui in principio vix vnum sæculare verbum audire poterant, iam vix ab vlla loquacitate se contineant;] & similibus defectibus excecati, sibiipsis & alijs quoquo modo molestiam, & damnum inferant. Pari modo licet aliqui [ex ipsa *h* natura præ alijs quietiores sint, non tamen ob hoc ampliore sunt sanctitate præditi; sed qui plus diuini amoris habet, Deumque sollicitus obseruat, eidemque obseruationi studet satisfacere, pro Deo viriliter decertat, & vitijs, ac defectibus suis amplius, perfectiusque emoritur, ille nimirum sanctior est.]

Mansueti autem & verò humiles,
bonam

a ibid *d* s. *b* Eccl. 25. *c* S. Thom. 1.2. q. 51. a. 4. ad 2. *d* 1. p. q. 62. a. 6. c. *e* Rusbroch. Harph. l. 1. p. 2. c. 6. & passim alij. *f* Taul. Dom. 3. post oct. Epiph. s. 1. *g* Barbañs. de sem. ocul. *h* Taul. instit. c. 16.

bonam spem repositam habent. Et quidem mansuetudinem tanti facit Dionysius, *a* ut non semel affirmet, tum demum Deum à Moysè recessisse, quando ipse prius à mansuetudine recesserat. Vndè etiam Sacratissima Virgo Maria magnificæ suæ beatitudinis (qua in Deo salutari suo exultavit spiritus eius) aliam rationem non assignat, quam quod respexerit humilitatem ancillæ suæ. & quidem iure merito; ad quem enim dicit Dominus respiciam *b* nisi ad paupereulum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. hinc etiam pia simplicitate præditi, illiterati, & rudes, sæpè sunt præstantiores mystici. Et primo quidem, quia intellectus istorum, ad varias multiplicitates & scientias *c* non distrahitur. Secundo verò, quia ipsam veritatem, quam vel audiunt, vel legunt non oblectatione speculatiua tantum, (sicut à Scholastico aliquo de diuinis tractante) suscipiunt; sed pulchritudinem veritatis cognitæ, illicò simul in amoris excitationem promouent: ita ut intellectus verò & pulchro illustratus, voluntas autem summo bono perfusa, ad amorem fortius consurgat. Vndè & vel ideò exclamet Augustinus *d* [quid patimur? quid est hoc? quid audisti? surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine eorde; ecce vbi volutamur in carne, & sanguine.] Quisquis igitur curiosus es scire *e* quid sit hoc verbo frui, para illi

non aurem, sed mentem, non docet hoc lingua; sed docet gratia, absconditur à sapienribus & prudentibus, & reuelatur paruulis.] [quia ex his, quæ exterius experiuntur idiotæ *f* contemplatiui, perfectius diuina percipiunt, quam multi literati.] [Cogitas ergò magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, & disponit super imponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum. *g* & fabrica quidem cum construitur, in suprema consurgit; qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur; ergò & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur.] & certè post gratiam Dei, nihil vsq; adeò ad verum spiritualem profectum est necessarium, quam mansuetudo, & humilitas. iuxta illud Saluatoris: discite à me, quia mitis sum & humilis corde. hæ namque virtutes ipsum spiritum humanum spiritui diuino quam maximè flexibilem reddunt, & ad eius amorem consequendum in primis disponunt; sicut [calor *h* ignis magis seipsum diffundit per ea quæ eum magis cupiunt, quæque ad eius similitudinem, & speciem facile cedunt, atque ducuntur: in ijs autem naturis, quæ obstitunt, aut in contrarijs (ut aqua) vel nullum, vel certè exile, ac tenue quoddam igneæ actionis vestigium perspicitur.]

N 3

Rudio-

a In Epist. ad Demo Philo. & alibi. *b* Isa. c. 66. *c* S. Th. 2. l. 8. Conf. c. 8. *e* Gerf. tr. de Myst. Theol. spec. Conf. 2. l. 3. Alph. 64. l. n. *f* S. Bonau. *g* S. Aug. s. 10. de verb. Dom. *h* S. Dion. de cæl. Hier. c. 13.

Rudiores autem natura, & ætate prouecti, admodum laboriosum in deuotione progressum faciunt [de fundo enim (scilicet mystico) ^a iuuenes plus habent, quam senes: eo quod hi plus satis suis conceptibus, institutis, & modis veteribus cum proprietate inhæreant.] vnde in mysticis propemodum talibus contingit, quod in scientificis; in quibus si quis illorum vix lectionis, aut scriptionis gnarus Philosophicas, ac Theologicas subtilitates addiceret, facilius præ senio in sepulchrum descenderet: ingenuo adolescente Condiscipulo, magna alacritate in istis proficiente: semper tamen saluo auxilio gratiæ diuino extraordinario. At Cholericus homines duræ ceruicis, instabiles, captiuæ mulierculæ, garrulæ, cursitantes per domos, & maximè elati animi homines, non habent partem, neq; sortem ^b in sermone hoc mystico [præsumptuosi verò ^c & iactantiæ dediti; adhuc sub potestate Diaboli tenentur captiui.] vnde si quispiam horum tempore probationis in statu religioso ita reperiatur, vt altam radicem iecisse, & vix mortificationis, & virtutis studio superari posse credat vir prudens; ad sæculi statum eiusmodi remittat; nisi quis amet spinas in oculis, & morbidam ouem sanas inficientem.

[Postremo ^d gaudeant benè nati, siue hoc habeant à solo Dei miraculo, vt Ioannes Baptista, siue ab influxu supe-

riorum corporum, siue à proxima radice parentum, vel ab educatione bona, quæ mores facit; gratias agant, vnde decunque prouenerunt, neque gratiam in vacuum recipiant; iuxta illud: Gratia Dei in me vacua non fuit. nam in iniuriam cedit donantis, donum negligere, nec eò vt quod donatum est.] quantumcunq; ergò aliquis sit puer ingeniosus, & sortitus animam bonam, nisi Dominus dono gratiæ mysticæ ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam; & [gratia e orationis nec in transitu præsto erit, nisi illi animæ, quam ingens deuotio, & desiderium vehemens, & prædulcis effectus sponsam probat.] quia tamen [corporum findire etè bonitatem intelligentiæ operantur; vnde & molles carne aptos videmus mente:] hinc etiam grauioribus infirmitatibus cruciati, indiretè à cõtemplationis quiete impediuntur in exercitio actuali; directè autem ad participationem passionis, & doloris pijssimi Saluatoris nostri deducuntur: quod in gratia mystica præstantibus, & cum digni fuerint pro nomine Domini contumelias & dolores pati, vtiliter, & cum maximo merito solet contingere.

Cum autem mystico instructori opus foret scientia, sicut Angelo Dei, consequenter dicitur,

- Quod

^a Taul. tom. 6. post Trin. serm. 1. ^b Act. c. 8 ^c vbi supra. ^d Gerson Theol. myst. præf. conf. 2. ^e S. Bern. serm. de circum. ^f S. Thom. cont. Gent. l. 3. c. 84.